

<sup>a</sup> Epist. Aurelii stola <sup>a</sup> ab Aurelio & ipsomet Musonio subscripta. Sed hunc Musonium Te-  
& Musonii ad  
calcem Conc.  
<sup>3.</sup> Carthag.

leptensem Episcopum fuisse proximè ante Donatianum, ut volunt, nusquam  
reperi : & quamvis Donatianum nullo intermedio præcessisset, nihil tamen  
contra sententiam nostram sequeretur : cùm eorum alter ex alia sede, in  
qua primùm ordinatus fuerat, Telepem transferri potuerit, & postea ra-  
tione primæ suæ ordinationis primæ sedis Episcopus, seu Primas Bizace-  
næ fieri.

<sup>b</sup> Conc. Car-  
thag. 3. Can.  
17. in Græco  
exemplari.  
<sup>c</sup> Concil. Mile-  
vit. Arcadio &  
Honorio Coss.  
in Cod. Afric.

Urgent Mauritaniæ Sitifensi Primatem proprium tributum fuisse à Con-  
cilio tertio <sup>b</sup> Carthaginensi anno quadragesimo decimo nono celebrato,  
quemadmodum & aliis provinciis; quamvis in <sup>1</sup> Concilio <sup>c</sup> Milevitano anno  
quadragesimo secundo celebrato, jam legatur Nicetius Episcopus primæ  
sedis Mauritaniæ Sitifensis : indeque inferunt duo genera Primum in hac  
provincia fuisse ; de quibus nil aliud excogitari potest, nisi quod unus se-  
nior ordinatione erat, & alter Episcopus Metropolis certæ & stabilis. Sed  
quamvis Canones isti in græca Collectione Decretorum Ecclesiæ Africanæ,  
tribuantur Milevitano sub Arcadio & Honorio, & Carthaginensi tertio Con-  
ciliis ; tamen parum fide digna est, cum in Codice latino, cui longè plus  
deferendum, nulla sint acta Concilii Milevitani primi sub dictis Imperato-  
ribus, nec legatur Canon de institutione Primatis Sitifensis inter ceteros  
Concilii tertii Carthaginensis. <sup>2</sup> Hos ab antiquis Conciliis Africanis con-  
ditos fuisse facile crediderim : sed cùm ignoretur à quibus, nulla potest  
certa inferri consequentia in favorem Episcoporum Sitifi Metropolis hujusc  
provinciæ.

Majorem autem fidem adhibendam esse latino Codici quam græco, ex hoc  
clarè probatur, quod Africana Concilia latine non græce facta sint: & quod  
latinus Codex in his, quibus differt à græco, conformis sit exemplaribus authen-  
ticis Conciliorum Africanorum, sicut & usibus antiquis Ecclesiæ Africanæ,  
à Divo Augustino, Fulgentio, Ferrando aliisque hujusc regionis celebre-  
rimis Scriptoribus, quibus tamen repugnat græca collectio, ut fusè proba-  
vit Eminentissimus Cardinalis Perronius.

<sup>d</sup> August. Epist.  
<sup>217.</sup> Objiciunt etiam ex Augustino <sup>a</sup> Victorinum, qui se Primatem Numidie  
quasi seniorem dicebat, ideo non potuisse Episcopos ad Concilium vocare,  
quod Episcopum Constantinæ Metropolis verum Primatem haberent, ad  
quem id munus spectabat: huncque volunt sensum genuinum esse verbo-  
rum Divi Augustini, ex quo proinde inferunt duo genera Primum fuisse  
in Numidia universaque Africa, scilicet Episcopum Metropolis, & anti-  
quiorem. Sed frustra conantur hunc eximium Doctorem ad suas partes evo-  
care, cùm jam ratio allata sit hujus Epistolæ scribendæ, dictumque hac una  
ratione missam ab eo fuisse, quod contentio exorta esset inter Xantippum  
& Victorinum, quis horum antiquior ordinatione, & cui proinde compe-  
teret Primatus. Imo hanc in eos retorqueri posse quasi acutissimum telum  
contendo, cùm utrique consulat Augustinus convocare Collegas, qui ipsi  
Episcopatus ætate vicini erant, quique facile, quis eorum verum diceret &  
antiquior esset, dijudicarent.

Alia quædam addunt, sed minoris momenti, & quæ, ut mihi videtur,  
nulla responsione indigent. Idcirco quæ in unaquaque provincia sedes essent  
Episcopales dicendum: si tamen prius singularum limites, quos Ecclesia insti-  
tuit, & qui ab aliis per Geographos designatis aliquatenus differunt, assignave-  
rimus.

## NOTÆ LUCAE HOLSTENII.

<sup>1</sup> Concil. Milev. anno 502. celebrato.] In Concilio  
Carthaginensi anni præcedentis 401. leguntur Ho-  
noratus & Urbanus Legati provinciæ Mauritaniæ  
Sitifensis in Cod. Can. pag. 205. Sed iidem Legati  
leguntur in Concilio Carthaginensi anni 397. unde  
jam tunc separatam provinciam fuisse constat in eo-  
dem Cod. Can. pag. 208.

<sup>2</sup> Hos ab antiquis Conciliis Africanis conditos fuisse  
crediderim.] In Concilio Hippomeni anni 393. hoc  
peritum concessumque fuisse, ut Sitifensis provin-  
cia primæ Sedis Episcopum haberet, ex Canone  
ejusdem Concilii discimus, qui in Concilio Carthae-  
ginensi anni 525. sub Bonifatio Episcopo legitur.

PRO-